

976

nobilissimus Italiæ lacus nomen nunc habet, relegavit : ubi ad id inopia redacta est, ut emendato per internuncium cibo calamitosam tueretur vitam. Quo fortunæ ludibrio, nisi stulta terrenarum rerum admiratione suæ infirmitatis mortales obliviscerentur, quantumvis sublimis fortunæ homo admoneri posset, nihil esse in humanis rebus tam arduum, nihil nostra ope tam munitum, quod sibi diu incolume mansurum affirmare possit aliquis. Adheleta clam ex Garda profecta ad Aleardum, Veronæ, ut arbitror, Antistitem (nam hodie quoque in ea urbe Aleardorum familiam florere non ignoramus) se contulit. Is, quia locum ubi tam illustris fœmina latere posset, non habebat, eam ad Accionem avunculum suum, quondam Lotharii amicum, clandestine misit : cuius opera tam diu in suburbano quodam ad decimum lapidem latuit, quoad Othoni primo, uno Accione auspice, nupsit. Otho illam in Germaniam duxit, habuitque ex ea filium qui Otho secundus est postea cognominatus, cuius proxime mentionem fecimus. Is Berengarii & Alberti ejus filii opes non fregit solum, sed evertit etiam : stabilitoque jam imperio, matre Adheleta annitente, cum Venetis, quibus ob Candiani Ducis mortem iratus erat, rediit in gratiam.

977

*Cum Justinopolitanis
fædus renovatur.*

Sub id tempus recens cum Justinopolitanis orta est discordia, quæ brevi post renovato fædere oppressa est : in eo fanciendo in primis ita convenit, ut Venetis quotannis centum vini amphoras Justinopolitani darent : id tributum Gradenses Antistites aliquandiu publico nomine ab Histris exegere. Hic erat rerum Venetarum status, quum Respublica novo quodam abdicationis exemplo optimi Principis administratione est privata. Guarinus homo genere Aquitanus, Venetias peregre appulisse dicitur, ut D. Marci corpus inviseret. Is, quia ita ab ipso mandatum erat, ut omnes divinarum rerum studiosi, qui in urbem venissent, hospitaliter invitarentur, ad Urseoli conspectum ductus est. Hic de religione & pœnitentia (erat enim hospes ille monasticæ professor vitae) non pauca locutus, eo animum jam ante sua sponte ad id spectantem sensim perduxit,